



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 62. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

## MEDITATIO LXII.

*Desedatā maris tempestate.* Matth. 8.

Myſt. punct. 3.

CONG. Sicut in præcedenti dictum,

PRÆL. I. Quomodo Christus sedaverit tempe-  
statem, imperans vento, & mari.

PRÆL. II. Vide mare concitatum, & mox paca-  
tum.

PRÆL. III. Petere gratiam, magno animo se-  
quendi Christum, Regem omnipotentem.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Vidimus tantè  
Discipulos timidos, & anxios dormiente  
Christo; nunc videamus illos erecto animo à som-  
nis Christo suscitato.

INTEL. Hinc concludamus, quām speciosum for-  
mā, & aspectu amabilem, necesse sit esse Christum  
Imperatorem, & Regem nostrum, qui è summo ex-  
citatus uno quasi oculorum aspectu depellit om-  
nes timores. REFL. Nos ipsos consulamus; in ve-  
niemus id nobis etiam interdum usū venisse.

VOL. In desolatione dicamus Christo: averti-  
sti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.  
Ps. 29. Ostende faciem tuam, & salvi erimus.  
Ps. 79.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Homines mirati sunt,  
dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare  
obediunt ei? Matth. 8.

N s

IN

INTEL. Dicunt, & interrogant homines; Qualis est hic? David respondet Ps. 46. *Rex magnus super omnem terram.* REFL. Nos vero ad Christum conversi, dicamus cum eodem Davide Ps. 43. *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, &c.* Respondeamus quoque cum S. P. Nostro: *Rex supreme, & Domine universorum, etiam ventorum, & maris.*

VOL. Excitemus affectus reverentiae, laudis, & amoris erga Regem tam amabilem, & potentem

**P**UNCTUM. III. OPERA. MEM. Imperavit venustris & mari, & facta est tranquillitas magna Matth. 8.

INTEL. Ex hoc opere manifesta sit omnipotentia Regis nostri: imperando facit tranquillitatem, *Quoniam ipse dixit, & facta sunt.* Ps. 32. REFL. cogitemus, quam ignavi milites futuri simus, si sub Regis tam amabilis, & omnipotentis vexillo militantes, timeamus.

VOL. Erigamus nos per certam spem, & fiduciam; & erecto animo juxa Contemplationes Regni Christi. & de 2. Vexillis, statuamus quam proxime Christum sequi; nullas timentes tempestates, aut persecutiones, sub omnipotente capite.

COLLOQ. De 2. vexillis. RECOLLECTIO.

MEDI-